DISSERTATIO IVRIS PVBLICI

DE

VOTO BVRGGRAVIATVS STROMBERGENSIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE, & reliqua,

PRÆSIDE

DN. BVRCARDO GOTTHELFFIO STRUVIO,

CONSILIARIO ET HISTORICO SAXONICO, IVRIVM ET HISTORIARVM PROFESSORE PVBLICO

exhibet

GERHARDVS NICOLAVS RICHTERS,

LIPPIA WESTPHALVS.

Ad diem Octobr. MDCCXII.



IENÆ, Literis KREBSIANIS.

NOBILISSIMO RESPONDENTI

GERHARDO NICOLAO RICHTERS

AVCTORI DISSERTATIONIS DOCTISSIMO

S. P. D.

BVRCARD GOTTHELFF STRUVE



Ltera nunc vice publico Te sistis, vt vtriusque iuris publici & priuati adseclam Te in hac academia fuisse strenuum, demonstrares. Immo, non in nudis hæsisti speculationibus, sed publico nuper exhibuisti theses eruditas, quas in cathedra iuris ma-

gno cum eruditorum adplausu ventilasti. Nunc Reuerendissimi Celsissimique Episcopi ac Principis Paderbornensis iura, quæ nonnullis incerta videbantur, strenue adseruisti. Non deessent equidem sententiæ, in quibus in diversa plane abirem, religioni tamen mihi duxi, quidpiam monere vel immutare, vt Tibi soli vindicares, quod Tibi defendendum sumsisti argumentum. Non desunt enim inter Iuris publici materias, quæ in vtramque partem possint disputari, cum non legibus solum nitantur iura Statuum atque Imperii, sed etiam obseruantia. Hæc autem incerta nonnunquam

esse

esse solet, partim quod desint genuina rerum documenta, partim etiam, quod ipsi Scriptores vel plane deficiant, vel nil nisi dnbia proponant atque incerta. Qui fit, vt plures illustrium controuersiæ maioris etiam molis scriptis contrariis hinc inde ventilentur, vt sæpe vtrorumque scriptis probe examinatis, dubii adhuc hæreamus, cui adsentiamur. Certe, vel vnicum exemplum illud declarat, in controuersiis, Gallos inter atque Hispanos. Quantum in iure Gallorum adserendo promeruit Blondellus, tantum in iuribus Hispanicis præstitit

 Chi-

Chifletius, ita, vt vtrique lectores in ſuas partes rapiant. Non igitur in Hiſtoriis ſolum, ſed iure etiam publico Pyrrhoniſmum locum habere adſerere non dubito. Hoc eſt, quod mecum adgnoſcis, NOBILISSIME RICHTERS, *qui curam hucusque in iuris publici quæſtionibus enodandis adhibuiſti. Perge, prout cœpiſti, atque ſtudiorum itineris curſu pene abſoluto, fructus largos cape, quos induſtria Tua promeruit. Hoc eſt, quod ex animo adprecor. Vale, ſcribebam Ienæ VI Kl. Octobris* CIƆ IƆCCXII



§. I.



BVrgravios a burgis nomen sortiri, evincunt Marquard Freher. *d. orig. palat. lib. 1. 10.* Gryphiand. *de Weichbild Saxon. cap. 62. n. 5.* Kyllinger *de Ganerbiis Castrorum Discurs. III. n. 149.* burgus verò, quod vocabulum alii a græco πύργος sumptum putant, arcem designat, cui defendendæ præfecti erant Burgravii Hugo Grotius *de Antiqua Republ. Batauia C. 5.* Carol. du Fresne *in glossar. ad scriptor. med. & infim. latinitat. voc. Burgravius* quo intuitu Dn Cocceius *in prudent. iur. publ. XV. XXV.* docuit, *burga, vti palatia esse domus publicas, sed hæc congregandi causa facta, illa ad defendendum terras*, quanquam per burgum non solùm arcem munitam, sed & oppidum eidem annexum intelligi, probent Stumpfius *in Chron. Helvet. lib. 6. C. 12.* author *actor. Lindaviens. fol. 610.* Knipschild *de priuileg. Civitat. Imperial. l. 1. C. 1. n. 56.* add. Dn. Thomas. *de Iurisd. & Magistrat. different. secundum mores German. th. XCVIII.*

§. II.

Erant igitur Burgravii, qui munimentis, quæ arcium nomine veniunt, & locis finitimis regendis atque tuendis præstituti erant, indeque patet eorum differentia a Marchionibus, qui limitaneis, a Landgrauiis, qui mediterraneis partibus erant præfecti, licèt non negandum sit, vocem Burgravii & Landgravii ratione iudiciariæ potestatis synonimi-

ce sæpe vsurpari. Mager. *de aduocat. armat. Cap. 2. n. 82.* conf. Dn. *Thomas d. l th. 100.* Erat vero potestas Burgraviorum olim maxima tam ciuilis, quàm criminalis, Mager. *d. l. n. 232.* quam eo extendit Dn. de Rhetz *in Inst. iur. publ. lib. 1. tit. XVII. § IX.* vt vel ipsis Marchionibus in ciuilibus ius dixerint secundum speculum Saxonicum *part. 3. art. 52.* Burgold. *ad Instrum. Pac. P. 1. D. 20. Th. 25.*

§ III.

Cùm Episcopi antiquitus nullam jurisdictionem haberent, ceu constat ex verbis Lehmanni *in Chron. Spirens. l. 2. C. 34.* Es hat auch von Anfang der Fränckischen teutschen Königen Regierunge/ und so lange solches Reich in seinen Kräfften bestanden/ bis zu seiner Endschafft/ als es auf die Sachsen erwachsen/ kein Bischoff Abt und geistliche person, wie die Nahmen haben mögen in teutschen Reich Obrigkeitliche Gewalt/ landsherrliche Bottmäßigkeit und weltliches Regiment/ sondern allein weltliche Bestraffung gehabt. *add.* Meibom. *not. ad Wittech. annal. fol. 54.* Reinec. *de origin. Saxon. fol. 22.* Aventin *l. 5 fol. 358. lib. 6. fol. 370.* Dn. Struv. *in Syntagm. jur. publ. D XVIII. §. X. in not.* hinc notat, Petr. Albin. in der Meißnischen Land Chronick *tit. 8. fol. 97.* das die Burggraffen von den Käysern gemeiniglich zu den Bisthümern gesetzt worden/ denen Stifftern und Kirchen als Verwaltere der Gerichte/ welche die Bischöffe damahls nicht gehabt an statt des Käysers beyzuwohnen: imò cùm Episcoporum interesset, ut haberent, à quibus defendi possent, feuda quædam sub nomine & titulo dignitatum Principibus, Comitibus & Nobilibus offerebant qui vicissim Episcopatuum defensionem spondebant. Ockel de *palat. Regio. th. 112, in f.* exemplum vide apud Rosenthal *de feud.*

feud. Cap. 4. concl. 14, quamplurimi tamen Burgraviatus extiterunt qui res sæculares atque terras solis Imperatoribus subjectas saltim gubernârunt, quod & fatetur idem Albinus *d. l.* das die Käysere vor Zeiten solche G'raffen und Præfectos Castellanos auf ihre oder des Reichs Burgken und Aemter ohne unterscheid ob dieselbe bey den Bisthümern gewesen oder nicht / gesetzt ; cum quo faciunt Peucer. *in Chronic. l. b 5. p. 700.* Pomar. *in Chron. Saxon. fol. 160.* Coccej. *in prudent. jur. publ C. XV. sect. II. §. XXV.* Strauch. *diss. exoter. II. th. VII* author des *discurs* von den alten Reichs Vogtheyen *fol. 28.* § dan erstlich *& in not. lit. zzzz.* qualis *Norimbergicus* fuit & *Rotenburgicus*. Knipschild *de privileg. Civit. Imperial. l. 5. C. III. n. 101.*

§. IV.

In statuenda prima Burgraviorum origine fluctuant Historici. Alii existimant suffectos esse Burgravios in locum *Missorum Regiorum*, cùm enim tempore Carolingorum Comites hinc inde Civitatibus præficerentur, quò minùs verò Reges in eos inquirere possent, locorum vetaret distantia, *Missi Regii* constituebantur, quorum munus in eo consistebat, ut provincias, sibi attributas visitarent & in Comitum officia penitius inquirerent; cùm verò Francorum potentia non vilia decrementa in Germania pateretur, & Saxones Imperatores non tantùm nomine dignitates aulicas mutarent, sed & hæreditario jure conferrent Principibus Germaniæ, hinc factum esse conjicit Ockel. *de palat. Reg. th. 54.* ut officia illa, quibus olim *MISSI Regii* fungebantur, ad Burgravios titulo feudi principalis devolverentur. Alii primævam Burgraviorum originem & ipsorum quidem Magdeburgensium ad tempora Caroli M. referunt Cyriac. Spangenb. in Adelsspiegel *p. I. l. 10. C. 20. p. 318. & ex eo*

 Spe-

Spener. *Oper. herald. part. spec. l. 3. C. 22. p. 632.* verùm Burgrauiorum nomen tempore Caroli M. necdum innotuisse, scribit Crantzius *in Saxon. Cap. XII.* quem sequitur Bertius *in Comment. Rer. German. pag. 601.* ut verisimile sit, ex periodo Saxonicorum Imperatorum & ævo præsertim Ottoniano Burgraviorum originem petendam esse, ceu ex Peuceri Chronico & Schurtzfleischio *de Marchia Misnensi* probat Horn. *De Burgraviis Magdeburgicis p. 6.* & licèt ab initio Burgraviorum dignitas videretur ambulatoria, meritis tamen eorum, qui primi cum laude honorem eum gesserunt, hæreditaria dein ad posteros devoluta fuit Vossius in *Comment. de gestis Fabiani Burgravii à Dhona pag. 15. in f. seq.*

§. V.

Varios in Germania Burgravios recenset Goldast. *Constit. Imperial. p. 1. pag. 17. seq.* Albin. *in Chronic. Misnens. tit. 8. §. 199.* quorum tamen non eadem fuit conditio, ceu constat ex verbis Freheri *de orig. palat. cap. 5.* dum ait: *sed hoc monitu dignum, horum ipsorum quamvis omnes pereque dictos invenerim alios tamen latiores & generaliores alios specialiores & angustiores quique sub illis contineantur, videri, nimirum quia & aliqualibus horum pagorum Comites aliis Duces aliis etiam Patritii pro eorum qualitate add. idem C. 6. p. 72.* Erant scilicet alii in nuda Comitum dignitate ceu Dhonavienses, Friedburgenses Kirchbergenses &c. vid. D. Struv. *S. d. J. D. XX. §. XXXV.* alii simul dignitate Principali pollebant, quales fuere Noribergensis Misnensis, Strombergensis.

§. VI.

Nobis nunc non de omnibus, sed de Burgrauiatu saltim Strombergensi, & ratione illius quæsito in Comitiis voto,

pau-

pauca differere lubet. Licet verò de prima Burgraviatus Strombergenfis origine hiftoriarum monumenta filent, eundem tamen inter antiquiffima Weftphaliæ dominia re-ferri teftis luculentus eft Herman. Hammelm. *de Weftphalia antiqua pag. 61.* & Stromburg caftrum antiquiffimum dicitur Limnæo *de I. P. tom. 1. l. 4. C. 4. n. 87.* tantamque antiquitus fuiffe Burgrauii Strombergenfis dignitatem nonnulli exiftimant, vt inter quatuor Imperii Burgrauios locum obtinuerit, vid. tabulam Quaternionum apud Goldaft. *tom. vnic. Conftit. Imp. pag. 35.* adeò vt primus inter Burgravios locus Strombergenfibus adfcribatur, fed Quaterniones fublestæ fidei & *inter paleas iuris publici* referendos effe facile conftat, cùm & Magdeburgenfi Burgrauio primus inter Burgrauios locus tribuatur ab Electore Saxoniæ Ioh. Friderico de An. 1540. ap. Hordlederum *de Cauf. belli german. l. 4. C. 9. n. 108. pag. 23. ibi* Der Burggraff zu Magdeburg der vier Burggraffen des Reichs einer / auch am ftande der erfte vor alters gewefen / proinde, quamuis Quaterniones fide hiftorica niterentur, de primo tamen inter Burgravios loco dubitandi locus relinqueretur, Tametfi igitur tabula Quaternionum fundamendum legale non habeat, illis tamen qui ab antiquo eidem inferti reperiuntur fingularem fplendorem præ cæteris fui ordinis conciliat, ad quem confervandum non immeritò axiomate illo hodienum utuntur B. de Lynck. *in anal. ad Schweder. juspubl. fect. 2. C. 1. §. 7.*

§. VII.

Dubitatum hactenus fuit, ubi terrarum fita fit Strombergia Burgrauiatùs dignitate infignis, Pfanner *hiftor. Comitior. lib. 4. §. 82.* Europäifcher Herold *pag. 374.* aliqu in Palatinatu inferiore eam fitam effe fufpicantur, inter

quos chorum ducit Freherus in not. ad Petrum de Andlo in *Roman. Imper. Repræsentat. lib. 1. C. 16;* quem sequitur Limnæus *tom. 1. iur. publ. l. 4. C. 4. n. 87.* dum ait *Stromburgum autem est castrum antiquissimum* auf dem Hundsrück / *inter Simeram & Kreutzenach præfecturam maximam annexam habens, hodie est ditionis Palatinæ,* iisdem Limnæi verbis inhæret Oldenburg. *ad Instrum. Pac. P. 1. Disc. 20.* §. 25. Imhoff. in *Notit. Procer. Imper. l. 2. C. 9.* §. 20. ipse tamen Limnæus in *addit. ad d. l. p. 240.* Oldenburger in *Limnæo enucleato l. 2. C. 15. n. 25.* Imhoff. in *Notit. Procer. l. 3. C. 19.* §. 5. à priori sententia recedunt. Rectius igitur Burgraviatus Strombergensis situm, in Episcopatu Monasteriensi quærimus cum Hermanno Hammelmanno *de familiis emortuis p. 68.* cuius verba hic lubet adscribere. *Stromburch fuit quartum unius ex Burgraviis Imperii dominium, cujus arx ejus nominis est sita jam in ditione Monasteriensi in vicinia urbis Wildenbrugii & sub eo Burgraviatu fuit Præfectura Crassenstein quæ jam a Nobilibus de Wenden paret.* conf. Erdvvini Erdmanni *Chron. Osnabrugense p. 235. in Meibom. tom. II. Rer. German.* Spener. *Op. herald. part. special. l. III. c. XXV.* §. *X.* Lucæ Fürsten-Sahl *p. 798.* Coccej. in *prudent. jur. publ. C. XV. Sect. 11,* §. *XXV.* Dn. Struv. *Syntagm. J. P. D. XX.* §. *XXXIV.* Juncker *Geograph. med. ætat. voc. Stromburg.* atque veram esse sententiam de situ Burgraviatus Strombergensis in Episcopatu Monasteriensi comprobat ipsiusmet Episcopi Monasteriensis Christophori Bernhardi assertio, quâ in libello iterato ad Imperat. Ferdinand. III. ultro agnoscit, terras Burgraviatus Strombergensis Episcopatui Monasteriensi à Prædecessoribus suis incorporatas esse apud Limnæum *tom. II. addit. ad. l. 4. C. 4. p. 241. ubi p. 243.* hæc reperies verba und obzwar meine Vorfahren dasselbe (Burggraffthum Stromberg) meinem Stifft einver-

leibt

leibt und in eine Vornehme Pflegerey und Aempter redigiret &c. ex quibus abunde colligere licet, Burgrauiatum Strombergensem in Episcopatu Monasteriensi situm esse, quomodo enim Burgraviatus hic Episcopatui Monasteriensi potuisset incorporari, si ille juxta aliorum sententiam adhuc hodie ditionis Palatinæ foret, situmque haberet in Hunnorum tractu, cùm Episcopus Monasteriensis in illum nihil juris prætendat, ideoque nihil de eo Episcopatui Monasteriensi sit incorporatum. vid. Textor. in *jur. publ. Tit. XI. n. 654.*

§. VIII.

Expeditâ de situ Burgraviatus Strombergensis controversiâ, videndum porro, quomodo hic ad Episcopatum Monasteriensem devolutus fuerit. Erat scilicet ultimus ex Burgraviorum Strombergensium Stemmate Burchardus, qui cùm multis spoliis Episcopatum Monasteriensem infestaret anno Domini 1372. Monasteriensis Episcopus Florentius (quem trigesimum Octavum inter Episcopos Monasteriensi Ecclesiæ utiliter præfuisse memorat Krantzius in *Metropoli lib. IX. cap. 45.*) castrum Stromberge rebelle & indomitum Ecclesiæ suæ subegit Erdvvin. Erdman *in Chron. Osnabrug. p. 235. in Meibom. tom. II. rer. germ.* quod & innuunt verba *Chronici Oldenburgensis pag. 152.* Bey dieses Grafen Conradten des II. Regierung / hat Florentius / gebohrner Herr zu Wernelinckhofe (ist eine Herrligkeit bey der Stadt Neuße gelegen /) und der acht und dreißigste Bischoff zu Münster die Burggraffschafft Stromberg welches ist die vierte Burggraffschafft des Reichs Anno 1372. mit Hülff des Bischoffen zu Osnabrügge und Graffen Otten zu Tecklenburg / eingenommen / und bey das Stifft Münster gelegt / wie dann auch solch Schloß

und

und Ambt noch jetzt / beym Stifft Münster ist. Idem comprobat Joh. Gualterius *in Chronico Chronicor. Ecclesiast. politic. pag. 1563.* Cùm verò Burchardus sub finem anni 1376. Ritbergensium & Susatensium ope adjutus castrum suum recepisset, convocatâ prædonum colluvie majori vi quàm ante in Diocæsin Monasteriensem debacchari cœpit, ut furor illius nulli perperceris. De novo igitur Florentius Episcopus imploratâ Henrici Spegelii Episcopi Paderbornensis & Theodorici Osnabrugensis Diocæseos Administratoris ope, Burchardum aggreditur, castrum Strombergense arctâ obsidione cingit premitque. Cum verò Burchardus rem ad extrema deduci animadverteret, fugâ elabitur â Comite Tecklenburgico in arcem Rhedanam receptus. Schaten. *Annal. Paderbornens. ad an. 1376.*

§. IX.

Anno igitur 1377. adversus Comitem Tecklenburgensem Ottonem bellum recrudescit, cùm, quod Burchardum in arcem Rhedanam recepisset ad novam prædæ licentiam, quem ob commissa scelera ex imperio Imperator proscripserat, tum quod ipse Comes Tecklenburgensis vicinos Episcopatus multis spoliis divexâret; Bello proinde ab Episcopis Monasteriensi, Paderbornensi & Osnabrugensis eò adigitur Comes, ut in æquas cum iis conditiones descenderet, eâque lege pax data, ut Burgraviatus Strombergensis cederet Episcopo Monasteriensi, castra expugnata manerent Osnabrugensi, & quæ præcipua belli adversus Comitem suscepti causa erat, ut Burgrauium è finibus suis ejiceret, nec imposterum ullo modo ei adsisteret. Schaten. *Annal. Paderb. p. II, lib. XIV. pag. 397. 398.*

§. X.

Cum verò fidem sanctè datam non servaret Comes Tecklen-

Teklenburgicus, anno 1379. eadem belli flamma resuscitata, & tribus Episcopis demum accessit Comes de Marca. Herman. Hammelm. *in histor. Comit. de Marca p. 531. inter opera ejus genealog. historic. de Westphal. & Saxon. infer.* Chronicon Osnabrugense *p. 236.* quanquam duos Comites Marcanos Engelbertum & Theodoricum adfuisse memorent Annales Paderb. *p. II. l. 6. tit. XIV. pag. 407.* Nec alium martialis flammæ fomitem innuunt Annal. *d. l. p. 406.* quàm quod Comes Burgravium Strombergensem ante biennium Imperiali banno innodatum recepisset, & quod pacem juratam & Cæsareo decreto munitam violasset Chron. Osnabrug. *d. l. p. 235.* Admotis igitur copiis Rhedam oppidum destruunt, arcem verò in sextum mensem obsidione coronatam oppugnant, donec tandem per arbitros de compositione actum, & ingens pecuniæ summa ad obsidionem solvendam soluta Annal. *Pad. d. l.* Chron. *Osnabrug. d. l. p. 236.* Burchardus verò Strombergensis, quem maximè illa oppugnatio spectabat, seu factâ compositione dimissus seu elapsus trans Visurgim profugit, receptusque à Ducibus Brunsuicensibus in Grubenhagen castro aliquandiu delituit, quem tamen in diœcesin Monasteriensem rediisse credunt Annal. *Paderb. p. II. tit. XIV. p. 407.* aliter tamen sentit Hammelmann. *in Chronic. Oldenburgensi p. 152. verbis* und ist der rechte Erbe nemlich Burggraff Johann ꝛc. endlich im Land zu Braunschweig bey den Hertzogen zu Grubenhagen gestorben. Castrum verò Strombergense cum amplis bonorum possessionibus Florentio & Ecclesiæ Monasteriensi assertum est *Annal. d. l.* Cyriacus Spangenb. in Adels-spiegel *l. 10. C. 15. p. 298. p. 319.*

§. XI.

Sed an jure illegitimo, ceu perperam videtur Hermanno

Hammelmanno Burgraviatus Strombergensis ad Episcopatum Monasteriensem pervenerit, disquirendum est. Scribit verò ille in *tractatu de familiis emortuis pag. 70. Monasterienses arcem & amplum dominium vi obtinuisse & in Chron. Oldenburg.* p. 152. und ist der rechte Erbe / nemlich Burggraff Johann verjagt / ins Elend vertrieben rc. verum enim vero vim exigebat Burggravii Strombergensis audacia multis sceleribus infamis, quæ in Episcopatum Monasteriensem vicinasque terras tenta erat, ut nec Agricola, nec Mercator, nec Clericus ab his uspiam tutus fuerit, frustraque essent ad hunc coercendum Episcopi minæ, intentatæ sacrorum pœnæ, Imperatoris proscriptio. *Annal. Paderb ad an. 1376.* neque sic furere satis erat, pacem tam juramento quàm imperiali decreto munitam violarat, & sacrilega multa contra illam perpetrârat *Chron. Osnabrug. pag. 235. in f.* Cogente igitur durissimo necessitatis telo, Episcopus, arma armis opposuit, ut infestos Burchardi longè latèque grassantis insultus repelleret. Æquè enim Princeps, qui sua non defendit, quàm hostis, qui aliena invadit, conscientiam lædit, & Bellum quod se suaque defendendi causâ suscipitur, justissimum est, cui ipsa necessitas jus porrigit. Liv. *lib. 43. Cap. 41.* Ex hac igitur belli justitia oritur justa Burgraviatus Strombergensis bellica occupatio, quæ gentium moribus recepta habetur, Textor. *in Synops. jur. gent. Cap. IX. n. 18.* Grot. de Jure B. & P. l. III. C. VI. neque aliter in Episcopatu Monasteriensi vicinisque terris tuta quies stabiliri poterat, quam ut Burchhardus Burgraviatu suo penitus ejiceretur. Quibus omnibus accedit infeudatio Imperatoria de hoc Burgraviatu Episcopo Monasteriensi facta, maluit scilicet Carol. IV. Imp. Episcopum Monasteriensem Burgravii dignitate castroque donatum exornari, quam publicum

blicum in eo prædonem pati *Annal. Pad. d. l.* quod & innuunt Hoppenrodii in Stammbuch *voc.* Stromberg. Eine Herrschafft in Westphaln / ist unter den Kayser Carolo den VI. dem Bischoff zu Münster zugestalt worden / alß der Graff aus etlichen Ursachen von dem Kayser ward in die Acht erklehret. ut non appareat, Burgraviatum Strombergensem jure illegitimo ad Episcopatum Monasteriensem devolutum esse; adest enim belli justitia, & ipsa infeudatio Imperatoria.

§. XII.

Jure igitur optimo Episcopus Monasteriensis Burgraviatum Strombergensem possidet, & ratione illius insignia gerit. Constat quippe ex Heraldicis Scutum, quo Reverendissimus Episcopus utitur quadripartitum esse; ità ut 1. & 4. *area cærulea* ipsius Episcopatus digma, *fasciam auream* contineant. 2. *ex argento & minio facta* in superiore argentea parte *tres aviculas nigras pedibus inferiorem rubeam partem tangentes* referat, quod symbolum est Burgraviatus Strombergensis. 3 *rubea tres nummos Byzantinos aureos* Borcoloensem scilicet tesseram exhibeat: media verò clypei regio originaria Episcoporum Monasteriensium insignia repræsentet. Spener. *Oper. herald. part. spec. l. 3. C. 25. §. 10.* Imhoff. *notit. Procer. Imper. l. 3. C. 19. §. 3.* Europ Herold *P. 1. pag. 375.* Pfeffing. ad Vitriar. Tit. XV. pag. 1206. indeque est, quod Episcopus Monasteriensis tanquam Burgravius Imperii jam olim votum ac sessionem inter Imperii Principes sæculares petierit, vid. iteratum memoriale apud Limnæum *in addit. ad J. P. tom. 1. l. 4. C. 4.* cùm verò Status Imperii petito illius tam vehementer sese opponerent, vid. Pfanner *histor. Comitior. C. 4. §. 82.* voti sui compos fieri non poterat, Anno igitur 1708. de novo petiit ad Curiam Prin-

cipum admitti Staats Cantzeley *Tom. XII. pag. 742. & 780.* neque tamen votum ac sessionem obtinere potuit, ut proinde non habenda fides sit dem allgemeinen historischen Lexic. dum voc. Stromburg refert, Episcopum Monasteriensem ob Burgraviatum Strombergensem votum in Comitiis exercere, quod enim olim ad votum ac sessionem non admissus sit, probat schema Lundorpianum, quo horum Comitiorum Principes sæculares eorundemque Legati expressim nominantur, nec tamen inter illos Burgravius Strombergensis vel Legatus ejus occurrit. Nec magis ejus mentio fit in Hermesiano Comitiorum Schemate; quod neque postmodum inter Cives Imperii receptus sit, patet ex eo, quod an. 1708. de novo postularit admitti, de actuali verò admissione acta Comitialia hactenus tacuerint, quamvis nemo inficias ire queat, prætensionem voti hujus optimis fundamentis inniti, quæ venia Reverendissimi & Celsissimi moderni Episcopi Monasteriensis & Paderbornensis paucis delineabimus;

§. XIII.

Videndum igitur est, quid requiratur, ut quis votum ac sessionem in comitiis obtinere queat. Primò cautum est Legibus Imperii, neminem in Statuum numerum recipiendum esse, nisi bona dignitati suæ convenientia prius acquisiverit. Capitulat. Ferd. IV. *art. XLV.* Leopold. *art. XLIV.* Joseph. *art. XLII.* Caroli VI. *art. XXII.* & speciatim ad qualitatem status bona Imperii immediata requirit *Recess. novissimus* §. *197.* ibi. Sie haben sich denn vorhero mit ohnmittelbahren fürstenmäßigen Reichsgüteren versehn / und soll forthin ohne vorgehende real Erfüllung aller nothwendigen und bestimbten requisiten / und insonderheit erstgedachter Begüterung keiner zur Session und

und Stimm im Fürsten-Rath gelassen werden. Ergo hoc modo bonis immediatis esse præditum babet se instar materiæ aptæ ad recipiendam Status formam i.e. jus sessionis & Voti. Suo id exemplo satis comprobat Princeps de Porcia, qui, cùm ob singularia merita ab Imperatore in Principale fastigium evectus esset, Collegio Principum ut in subselliis eorum reciperetur, commendabatur, dùm vero bonis immediatis necdum instructus esset, eâ conditione à Principibus ad Senatum admissus est, ut admissionem hanc pro precaria haberet, donec bona immediata acquisivisset, quam conditionem cùm non implerent hæredes, loco inter Principes Imperii obtento rursus exciderunt. vid. B. de Lyncker. *de immedietate Civium Imperii: Rom. Germ. pag. 37. seq.* Sic olim Principi Dietrichsteinensi cum ad votum ac sessionem readmitti desideraret, à Senatu Principum opponebatur, quod possessione bonorum immediatâ destitueretur in cujus gratiam non ità pridem, ut fieri particeps sessionis & voti in Comitiis posset, Imperator superioritate in agrum & castrum Traff se exuit, eamque in dictum Principem transtulit, & ità hoc prædium in Austria immediatum effecit. Henning. *ad Instrum pac. Mantiss. ad spec. secund.* § 10. Multz *in Repræsentat. Majestat Imperator. part. 11. Cap. XXII. n. 66.* eadem quoque ex causa ante annos aliquot Comitibus & Baronibus in Comitiis publicis notum fiebat, non debere amplius ad Curiam admitti, qui non bona immediata possiderent, indeque proportionabiliter contribuerent D. de Rhetz *Inst. jur. publ. l. 1. Tit. XV. §. V.* qua propter non ità pridem Comes de Sinzendorf votum & Sessionem in conventibus Circuli Suevici non prius impetravit, donec dominium in Danhausen obtinuit, quod ante sub corpore Nobilitatis Liberæ coninebatur Multz *in Repræsentat. Majestat. Imperator. part. 11.*

 Cap.

Cap. XXII. *n. 79. & Cap. XVIII. n. 67.* alia quoque Principum noviter creatorum exempla luculenter ostendunt bona immediata requiri, vid. *Recess. noviss.* §. *197.* conf. Nitschius *ad Capitulat. Joseph. pag. 744. seqq.* Kulpis. *ad Monzamb. de Statu Imperii C. 2. §. 9. Pag. 525.* Henninges *meditat. ad Instrum. Pac. Mantiss. ad Spec. secundum. De Statib. Imper. §. 9. seqq.* Multz. *in Repraesentat. Majestat. Imperator. part. II. Cap.* XXII. *n. 63. seqq.* Novissimè quoque Principi Schwartzburgensi votum ac sessionem in Comitiis quaerenti inter caetera ab Electore Saxoniae oppositum, quod bonis immediatis Principe dignis careret vid. Elect. jur. publ. *tom. II. pag. 1072.* Neque tamen à possessione bonorum immediatorum ad characterem Status licebit argumentari, nam multi dantur in Imperio Cives, qui sunt immediati, non tamen Status, uti in *Recessu deputat. 1564.* §. *29.* Die unmittelbahre Freyheit und die Reichs Standschafft directò sibimet opponuntur, ibi. und wollen wir alß Römischer Keyser gegen die so nicht Stände des Reichs / jedoch dem Reiche immediatè unterworffen / diese constitution exerciren. Aptus enim saltem talis est, qui bona immediata possidet, accipiendis juribus Statuum, aptitudo autem ad rem non confert rem ipsam, sed passivè se habet instar materiae, quae non ex se formarum producit, sed aliunde recipit. Illustre exemplum suppeditat Nobilitas immediata, illa enim imperio immediatè paret, ist Kayserlicher Majestät und dem Reich ohne Mittel unterworffen *R. J. 1555.* §. und in solchen Friede / propterea tamen Statuum numero accensenda non est, cùm ratione formali Statuum, quae in jure suffragii ac sessionis in comitiis consistit, destituatur. Quanquam si antiquiora respicias tempora, ad Statum Imperii non semper requirere-

tur,

tur, ut possideret bona Imperio immediatè subjecta Becker *lib. III. C. 11 §. VI.* cum demum nouè constitutum sit *Recess. noviss.* §. über dieses haben wir ut Principum Ordini (dem fürstlichen Collegio:) inseri cupientes alicujus saltem territorii imperialis possessionem habeant vid. Dn. Coccej. in *Prudent. jur. publ. C. 19. §. 2.* ex quo apparet, antea etiam sine bonis imperio immediate subjectis ad Principum Collegium fuisse admissos. Hertius de *specialibus Rom. Germ. Imperii Rebusp. earumque diversis nominibus & figuris Sect. I. §. II. in f.* opusc. *tom. II.* Hodie verò bona immediata adeò requiruntur, ut in Legum fundamentalium capita bonorum immedietas transierit frustra dissentiente Limnæo *D. J. P. l. I. C. 7. n. 99. seqq.* dum mediatis quoque Civibus posse nomen & qualitatem Status competere tradit, cujus argumenta refutata vide apud B. de Lyncker de immedietate Civium Imperii §. 2. Henning. *ad J. P. mantissa ad specim. secund. §. 12.*

§. XIV.

An verò præter bona immediata etiam requiratur Superioritas Territorialis non levis hodie est quæstio, quæ quidem neganda est si antiquum Germaniæ statum consideres, quippe poterant tum Status Imperii esse sine superioritate Territoriali, cum Status Imperii fuerint, antequam existeret superioritas Territorialis, quæ post Carolingorum demum tempora cœpit, ut non possit de ratione status Imperii videri, sine qua illi & ab origine sua & tot sæculis substiterunt. An non verò hodie Superioritas Territorialis ita requiratur, ut qui eâ destitutus ad votum in Comitiis frustra aspiret, non conveniunt. Alii existimant status Imperii esse posse, qui Superioritate Territoriali destituuntur eamque in rem notabilem extare sanctionem in *Recess. Imp.*

A. ugu-

Augustan. An. 1548. §. nachdem auch 69. & auch die Graffen von Tübingen 71. cui sententiæ inhæret Hertius *de uno homine plures sustinente personas sect. III. §. V. opusc. tom. III. & de specialibus Rom. Germ. Imperii Rebusp. earumque variis nominibus & figuris sect. I. §. II. in not. opusc. tom. II.* Verior tamen videtur contraria aliorum sententia, quæ Superioritatem Territorialem ad qualitatem Status omnino hodie requirit *juxta. d. Rec.* §. 66. ibi. Damit da in solchem niemands wieder Billigkeit beschweret werde / so haben wir uns mit Churfürsten Fürsten und gemeinen Ständen und der abwesenden Räthen und Gesandten verglichen / wo einige Graffen oder Herren wären / welche kürtzlich ihre dignität erlanget / und dem Reich immediat nicht / sondern andern ihren Landes Fürsten unterworffen / auch nicht Güter ohne Mittel / von oder unter dem Reich hätten / das dieselbe in die Anschläge nicht gezogen aber Diejenige so in dem Reich begütert / oder ander Fürsten subditi immediate nicht wären / daß dieselbe nach ziemlichen Dingen gleich andern mit des Reichs Anschlägen belegt werden: ex quibus verbis satis evincitur, Superioritatem Territorialem esse propriam affectionem & essentiale consecutivum Civis Imperii Strauch. *diss. Exoter. jur. publ. 4. th. 22.* & in Inst. *Jur. publ. l. 1. C. 23. n. 8.* Neque contraria sententia exemplo Ducatus Wurtenbergici stabiliri poterit, in quem Ulricus eâ conditione restitutus, ut illum à Domu Austriaca in feudum recognosceret, salvo jure Imperii, qualitate status & voto in Comitiis; præterquam enim, quod exemplum hoc singulare sit nec ad consequentias trahendum, nexus hic feudalis hodie cessat. vid. D. Struv. *in syntagm. jur. publ. D. XV. §. III.* add. Henning. ad J. P. *mantissa I. ad spec. secund. Meditat.* §. 12.

§. XV,

§. XV.

Præterea ad obtinendum in Comitiis votum requiritur pro modo censuque bonorum in aliquo Imperii circulo esse descriptum & ad ferenda Reipublicæ onera pro parte sua concurrere, prout sancitur *in Cap. Leopold. art.* XLIV. Das er sich zu einer standswürdigen Steuer in einen gewissen Krays eingelassen und verbunden. Non verò ex eo solùm, quod quis in matriculam relatus sit, statum Imperii arguere licet. Lubricam enim hanc esse sententiam ex eo patet, quod in Republica nostra Romano-Germanica ante illam, quam Sigismundus Imp. *A. 1431.* conscribi fecit, nulla extet matricula, uti testatur Goldastus *de Regno Bohemiæ lib. II. C. 17. n. 2.* Maurit. *de matricula Imper.* §. 8. ex quo tamen sequeretur, nullos ante tempora Sigismundi fuisse Imperii Status, quo dictu nihil absurdius: Vt mirari subeat, quod Limnæus *J. P. l. 1. C. 7. n. 91.* in probanda Status qualitate ex sola Imperii matricula frustraneam operam ludat, ob id adversarium nactus Carpzovium *in Tr. de Lege Regia Cap. 3. sect. 12. n. 42. 43.* contra quem se defendere frustra allaborat *in tom II. addit. ad n. 91.* quamvis enim matricula sit instrumentum publicum, in alium tamen finem confectum non est, nisi ut inde constaret, quidnam Imperio hactenus Status contulerint: facit quidem matricula præsumtionem Status, non Statum, Meischner *tom. III. decis. 6. n. 20.* & licet plenè probaret, aliud tamen est, quod probat, aliud quod facit Statum vid. Dn. Coccej. *de Caractere Statuum Imperii Sect. II.* § XXI. Conf. Multz. *in Repræsentat. Majestat. Imperator. part. II. Cap. XVIII. n. 21. seqq.* neque exinde, quod hodie nemo matriculæ inseratur, nisi qui Status est, contraria sententia sustineri potest, cùm

ne sic quidem matricula statum conficiat, postquam is in eam tum demum recipitur, qui jam status Imperii est B. de Lyncker *in annal. ad Schwed. jus publ. sect. II. C. I. §. VI.* quod autem existit, formam essentiamque suam habet, quam demum postea dare inscriptio nulla ratione potest vid. Henning. *Meditat. ad J. P. Mantissa ad spec. secund. Meditat.* §. 18. ubi & dissentienti Limnæo satisfacit.

§. XVI.

Hactenus dicta applicanda sunt ad Episcopum Monasteriensem, an scilicet ea quæ Leges imperii requirunt, in eo concurrant. Primum itaque erat requisitum, ut votum ac sessionem in Comitiis quærens possideat bona Imperii immediata. Constat verò Burgraviatum Strombergensem adeò illustrem esse, ut Prælatorum, Nobilium, Oppidorum, vicorumque frequentiâ sit inclytus, testis est ipse Episcopus *in memoriali secundo* Eerdinando III. Imp. præsentato. *verb.* daher o nicht zu zweiffeln / das mir wegen des Fürstenthums und Burggrafthums Stromberg sessio und votum gebühre / dieweil ich nicht allein den alten Burgsitz Stromberg sondern das dazu gehörige territorium, welches nicht geringer als viel würcklich votum & sessionem habende Fürsten in Besitz habe / und zu des H. Reichs Fürstenstands reputation gnungsahm possessionirt, auch vornehme Prælaten Edle Ritter Städt und Flecken unter sich hat. Ex quibus abunde patet Episcopum Monasteriensem ratione Burgraviatus Strombergensis bonis immediatis sufficienter instructum esse.

§. XVII.

Neque superioritas Territorialis in Burgraviatu Strombergensi deficit, quam ex investitura Cæsarea colligere licet,

quæ

quæ cum Regalibus, juribus, & prærogativis Episcopo Monasteriensi nominatim fieri solet fatente ipso Episcopo *in memorial. primo* ibi mir auch den Titul des H. Reichs Burggraff zu Stromberg und ebenmäßig die davon dependirende Reichs Regalia, dignitäten / prærogativen / und gerechtsahme in gleicher hoher Käyserlicher Gnaden ertheilet haben: jam verò exinde, quando Imperator alicui immediatum territorium concedit, ipsa superioritas Territorialis simul concessa censetur B. de Lyncker *de Superiorit. Territor. pag. 21.* Henninges *Meditat. ad Instrum. Pac. Mantiss. I, ad Spec. IV. de superiorit. Territor.* §. *19.* Klock. *Consil. 3. qu. 2. post Tr. de Contribut. p. 46. a.* etiam non additis verbis mit aller Hoch- und Herrligkeit Knipschild *de Privilig. Civitat. Imperial. l. 2. C. 5. n. 48.* quapropter quicunque probaverit legitime territorium universale & dominium, & si de aliquo districtu controversia existat ad territorium tamen pertinente vel ei incorporato, habet fundatam intentionem, quod superioritas Landsfürstliche Obrigkeit ipsum concernat. Knicken *de jure Territorii Cap. V. n. 100.*

§. XVIII.

Porrò requirebamus, ut votum ac sessionem in Comitiis ambiens Sich zu einer Standswürdigen Steuer in einen gewissen Kreys eingelassen und verbunden / qua de re Episcopus Monast. ita effatur *in Memoriali secundo*, und obj zwar meine Vorfahren dasselbe meinen Stifft einverleibt / und in eine vornehme Pflegerey redigiret / auch davon die collectas und Reichssteuer nicht absonderlich sondern in den gemeinen Anschlag meines Stiffts mit beygetragen ꝛc. non tamen exinde, quod Burgraviatus Strombergensis cum Episcopatu Monasteriensi unitus sit,

 existi-

existimandum est, Burgraviatum Strombergensem extinctum esse, cùm unio non mutet bonorum separatorum naturam. Mod. Pistor. *cons. 40. n. 145. vol. I.* Goedd. 3. *Marpurg. Consil. 33. n. 262. & cons. 37. n. 788. vol. 4.* maxime, si unio voluntaria non ita facta sit, ut res unita per unionem quasi consumpta, & perse non amplius existens censeatur, sed nomen suum retineat. Schrader *de Feudis 2. part. 8. sect. 2. n. 10.*

§. XIX.

His aliisque in iterato memoriali ab Episcopo Monasteriensi adductis motus Ferdinandus III. Imperator, non potuit non, quin Cæsareo decreto *de an. 1653. d. 2. Julii* æquum Episcopi petitum sublevaret quod ex Limnæo *in addit. ad Tom. I. l. 4. C. 4,* hic lubet inserere. Von der Römischen Kayserlichen Majestät unserem allergnädigsten Herren wird Ihr. Churfürstlichen Gnaden zu Mayntz dasjenig communiciret was bey allerhöchst gedachter Kayserlicher Majestät / des Herrn Bischoffs zu Münster Fürstlichen Gnaden wegen der Burggraffschafft Stromberg / damit demselben derenthalben Session und Stimme in den Fürsten Rathe verstattet werden mögte / in Unterthänigkeit angebracht / und gebethen hat. Wann nun Ihr. Kayserlichen Majestät diesfals aus denen wohlermelten Herrn Bischoffen angeführten und andern erheblichen Ursachen ihres Orths einig Bedencken nicht haben sondern solches auch vor billig halten. Alß haben dieselbe dessen Hochgedachte ihro Churfürstliche Gnaden zu Mayntz zu dem Ende erinneren wollen / ob sie gehörigen Orten die fernere Nothurfft verfügen wolten / damit mehr wohlgedachter Herr Bischoff Fürstlichen Gnaden zu Münster diesfals zu ihren in-

tent

tent gelangen / und ihr die gebührende Sesſion und Stimme / mit dem ehisten verstattet werden mögte: ideoque magis decretum hoc Cæſareum ad fundandam Epiſcopi prætenſionem notari meretur, eo quod antiquisſimum ſit inter omnia decreta, quæ Principes ad votum ac ſesſionem vel poſtliminio readmitti, vel de novo recipi cupientes ab Imperatoria Majeſtate obtinuerunt.

§. XX.

Nil igitur videbatur deeſſe, quàm conſenſus Principum, in quorum Collegium Epiſcopus ob Burgraviatum Strombergenſem erat introducendus. Conſtat quippe ex *Rec. noviſſ.* §. über dieses haben rc. *verò* das forthin ohne der Churfürsten und Ständen Vorwissen und Conſens keiner zur Sesſion und Stimm im Fürsten Rath zugelassen werde diſtinctius hæc leguntur in Capitulat *Leopold. art. 44.* Niemand von den neu erhöheten Fürsten / Graffen und Herren dem Fürstlichen Collegio, es seye gleich auf derselbigen oder der Graffen Bäncken ad ſesſionem & votum wieder dero Willen auffdringen / Sie haben sich dann dazu mit Fürstenmäßigen und Gräfflichen Reichsgütern qualificiret / und zu einer Standswürdigen Steuer in einen gewissen Creys eingelassen und verbunden / und über solches alles neben dem Churfürstlichen auch dasjenige Collegium oder Banck darinnen sie aufgenommen werden sollen vorhero gnungsam gehöret worden: quod acta introductionis Marloborugii ſeparatim Francofurti 1707. edita luculenter edocent; hunc verò Principum conſenſum tacitè obtinuiſſe videtur Epiſcopus Monaſterienſis, quod nomine illius diſtinctè facta legatur ſubſcriptio *Receſſus Imperii noviſſ. bis verbis* wegen der Burggraffschafft Stromberg ubi Legatus

Monasteriensis, qui post discessum Episcopi ex Comitiis votum, Monasteriense proposuit, munus duplex his verbis habuisse significatur, nempe & monasteriensis Episcopatus & Strombergensis Burgraviatus nomine comitialibus placitis consentiendi. Ex qua subscriptione non exiguum sane fundamentum prætensioni Episcopi Monasteriensis enatum est.

§. XXI.

Positis hisce fundamentis, quibus innititur prætensio Episcopi Monasteriensis, restant num discutienda ea, quæ illi obmoventur in Feciali Europæo *pag.374.* & ab authore der unmaßgeblichen Gedancken über die von verschiedenen Fürsten gesuchten neuen vota &c. §.2. scilicet. 1. seye es ohngewöhnlich das ein geistlicher Fürst auf weltlicher Banck sitze / 2. die quaterniones im Reiche darauf dieses Burggraffthum nit gegründet seyn sol / seyn ohne fundament. 3. alle Burggraffthümer nicht eben die Fürstliche dignität nach sich ziehen / dahero auf ungewisses keine personal votum zu ertheilen/ 4. seye annoch ungewis wo solche Burggraffschafft situiret / indem etliche solche nicht in Westphalen an der Lippe / sondern in der Unterpfaltz auf den Hundsrück unferne Simmern setzen conf. Pfanner *histor, Comitior. l.4.* §. *82.*

§. XXII.

Quod primam attinet objectionem, es seye ohngewöhnlich das ein geistlicher Fürst auf weltlicher Banck sitze qua etiam ex ratione Franc. Irenic. *in Comm. ad Burgold. p.2. pag. 39.* Episcopo Monasteriensi ob Burgraviatum Strombergensem votum ac sessionem in comitiis denegat. Verùm nihil novi erit Episcopum, qua talem & qua Burgravium Imperii in Comitiis suffragium ferre, cùm nihil novi

novi secum trahat, Electorem Hanoveranum ùt Principem Imperii & ùt Episcopum Osnabrugensem ob definitam in Instrum. pac. Osnabrug. *art.* XIII. §. I. alternativam successionem voto gaudere, Ducem Holsatiæ ùt talem, & si regenti Duci Episcopatus Lubecensis obveniret, ùt Episcopum voti ac sessionis participem esse, quid igitur novi foret, si Episcopus Monasteriensis qua Burgravius Imperii votum obtineret, veluti id qua Episcopus exercet; eoque minus persona Principis Ecclesiastica obstare poterit, si præsupponas Episcopum Germaniæ ex pacto inter Henricum V. Imperatorem & Calixtum II. Pontificem *An. 1122.* inito, tanquam duplicem personam considerari, ùt Principem dependere ab Imperatore & imperio, ut Episcopum à Pontifice vid. Pfeffing. *ad Vitriar. jus publ. l. I. Tit. II. pag. 65.* Hugo *de Statu Region. German. C. 4. §. 16.* Wintzler *de jure Episcopali Tit. 21. n. 3.* Hertius *de uno homine plures sustinente personas sect. III. § VII. opuscul. tom. III.* hinc. Merckelbach apud Klockium *I. consil. 14. n. 71.* Das in heiligen Reich teutscher Nation die Bischöffe nicht bloslich vor Geistliche / sonder auch vor weltliche Stände anzusehen / und nicht weniger denen weltlichen Fürsten vom heiligen Reich und der Kayserlichen Majestät mit Landesfürstlicher Obrigkeit / Regalien, Herrlich und anderen Weltlichkeiten belehnet sind. Jam verò Episcopus Monasteriensis non qua Episcopus, sed qua Burgravius Strombergensis votum ac sessionem in Comitiis prætendit: quid quod vota in Comitiis non à personæ dignitate dependeant, sed territoriis inhæreant, quanquam idipsum a nonnullis in controversiam vocetur, eoquod indignum illis videatur, dignitatem ordinum Imperii glebæ adscribi. Limn. *de J. P. l. 1. C. VII. n. 96.* Myler. *de Statibus Imper. C. II. n. 9.* Schvveder,

der. *J. P. sect. 2. C. I. §. 9.* horum tamen sententiam nulla ratione suffultam esse vel inde patet, cum characterem Status constituat sessio ac votum in Comitiis vid. Dn. Coccejus *de charactere statuum Imperii sect. II.* Kulpis. *de Legat. stat. Imper. Cap. IV.* §. 4. hoc autem intuitu certi territorii præstetur, notum præterea sit ex *Recess. noviss.* §. 197. ad qualitatem Status bona Imperii immediata requiri, quæ necessaria non forent, si votum à personæ dignitate dependeret, & cúm capitula sede vacante ad Comitia universalia æquè, ac particularia vocentur, ùt patet ex subscriptione *Recess. Imper. de An. 1555. 1559. 1576.* ad Schultz. *V. J. P. V. 1. Ex.* X. *tb.* IZ *lit.* D. Gastel. *de statu publ. Europæ C. 37. n. 4.* idemque comprobat disertis verbis Instrumentum Pac. Cæsar. Suec. *art. V.* §. 21. ibi. *iidem aut sede vacante capitula & quibus administratio cum iis conjunctim competit, ad universales æque ac particulares deputationum Visitationum revisionum aliosque conventus imperiales literis solitis convocentur, & suffragii jure fruantur:* conf. Henninges *Meditat. ad cit. loc.* satis inde apparet, non tam personæ rationem hic haberi, quàm suffragandi juris territorio inhærentis, atque hinc est, quod *Anno 1641.* in Comitiis Salisburgensibus Legatus provocârit, es seye wissend / das in Heil. Römischen Reich die Sessiones und Vota nicht der Fürstlichen Dignität / sondern dem Lande annectiret seyn / & ex secularibus alius, es hange das jus sedendi & votandi im Fürsten Rath nicht in persona, sondern in re & territorio teste protocollo apud Londorpium. vid. Nitzschius *ad Capitulat Josephia. pag. 743. n. 60.* Conf Hugo *de statu Region. German. C. 4.* §. 16. Dn. de Rehtz *Inst. Jur. publ. l. 1. Tit. XV.* §. V. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. publ. D. XV.* §. V. Henninges *ad Instrum. Pac. mantiss. ad Specim. secund. meditat.* §. 19. *seqq.*

qui

qui etiam §. 21. dissentienti Victori *de caus. exempt. concl. 78.* satisfacit. ut proinde prima objectio, das ein geistlicher Fürste nicht könne auf weltlicher Banck sitzen / ex contrariis exemplis, ex duplici Episcopi Germanici persona, & denique ex jure suffragii territorio innexi satis refellatur.

§. XXIII.

Neque majoris ponderis est secundum dubium, die quaterniones im Reich darauf dieses Burggrafsthum mit gegründet seyn soll / seyn ohne Fundament. Verum enimverò licet non desint, qui Quaterniones Imperii non omni fundamento destitutos existiment, eoquòd in Recess. Imper. de An. 1567. §. Darauf nach ausweis ꝛc. Comitibus à Schwartzburg titulus der vier Graffen des Reichs tribuatur, eoque ipsi etiamnum hodie glorientur. Maximilianus Imperator Wolffgangum de Weissenbach in locum familiæ Meldingensis, quæ itidem inter quatuor milites locum obtinebat, surrogârit, & Episcopus Monasteriensis in memoriali suo diserte dicat das die Burggraffen zu Stromberg unter den vier Burggraffen des Reichs die ersten gewesen. Attamen non tam in Quaternionum veritate, quàm ipsa dignitate principali sese fundat Episcopi Monasteriensis prætensio, an igitur Quaterniones fide historica nitantur, an eâdem destituantur, nihil oberit: sive cum Conringio *de Civib. Imp. th. 40. & de finib. Imp. l. 2. C. 29.* asseras, tabulam Quaternionum a Goldasto relatam nihil aliud, quàm lusum hominis vani ac inepti esse, eumque, ut multos quaterniones conficeret, non erubuisse totius orbis Respublicas nugis suis concutere: sive cum Fritschio *in addit. ad Limn. l. 1 C. VII.* & in addit. ad Besoldi thesaur. practic. *voc. quatuorviratus,* Quaterniones verisimiles credas, & quod repetita Cæsareæ Majestatis confirmatio accesserit, in suo robore acc vigore eos retinendos esse dicas.

§. XXIV.

Diluenda nunc igitur objectio tertia; Burgraviatus Strombergensis seye an sich keine Fürstliche dignität sic & Goldast *tom. unic. constit. Imperial. pag. 27.* Burgravium Strombergensem inter eos refert Burgravios, qui non sunt Principes Imperii, sed in Comitum dignitate. Equidem cardo præcipuus in eo vertitur, an olim Burgraviatus Strombergensis dignitate principali fulserit, nec ne, si veteres Burgravii fuerint Imperii Principes, justum æquumque est, successores pari jure gaudere, si non fuerint, res nova ex admissione Episcopi Monasteriensis ad votum ac sessionem desiderabitur; neque solo Burgraviatu dignitatem principalem fulciri posse alii existimant, eoquod exempla aliorum Burgraviorum contrarium doceant, qui ante fuerunt Burgravii, quàm ad dignitatem Principum Imperii evecti sunt, sic Burgravii Norimbergensies à Carolo IV. demum Principes creati & a Ruperto Imperatore de Principatu sunt investiti, sic Burgravii Misnenses, a Sigismundo Imperatore in numerum Principum recepti sunt; sed præterquam, quod alii autument dignitatem Principalem neglectam & obtenebratam de novo tantum illuminatam & quasi renovatam esse vide Eyben *de titulo nobilis pag 39.* hæc nullo modo evincunt, quo minus Burgravii Strombergenses inter Principum album referantur, posito enim de veteri eorundem dignitate nondum satis apparere, neque tamen contrarium, quod non habuerint, prorsus evidens esse dixeris, non enim exinde, quod de prima origine dubitetur, negativè inferre licet, cùm & Misnenses Marchiones Principis dignitatem adepti sint, licèt non adeò constet, quando Principum numero adscripti sint, neque minus Marchiones Badenses Principum dignitate gloriantur, quamvis de prima origine dubitetur. Dn. Struv. *syntagm. jur. publ. D. XX. §. XXIIX.* pari

ratione

ratione; quanquam nondum certò constet, quando Burgraviis Strombergensibus dignitas principalis collata fuerit, inde tamen frustra argues eam non collatam esse; suffragatur communis fere Doctorum jur. publ. sententia, quæ Burgraviatui Strombergensi dignitatem principalem tribuit vid. Schilt. *Inst. jur. publ. l. 2. Tit. 11.* §. 7. Schvved. *Inst. J. P. part. spec. Sect. II. C. VII.* § *X.* Horn. *in Prudent. jur. publ. Cap. XXXIIX.* §. *XI.* Hermes *fasc. jur. publ. C. 33. n. 6.* Reincking *de Regim. secular. & Ecclesiast. 4. 6. 13.* Eyben *de Tit. Nobilis* §. *XXIII.* Multz *in Repræsentat. Majestat. Imperator. part. II. Cap. XXII. n. 49.*

§. XXV.

Ad tertium dubium Es seye annoch ungewiß wo solche Burggraffschafft situiret, videri ea possunt, quæ dicta §. VII. Vltimò denique objici solet multitudine votorum tandem laboraturam esse Principum curiam, si conquisitis undequaque Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, titulis, loci in Comitiis obtinendi licentia fieret. Non enim ex re imperii esse somniat Burgoldensis *in Colleg. jur. publ. p. 3. pag. 27.* Si Votorum numerus magis accrescat, cùm ob nimiam votorum copiam negotia in Comitiis pertractanda felicem exitum difficulter sortiri queant, plures personæ tardiùs conveniant, multum temporis disputando inutiliter teratur, difficile sit tot in unam coire sententiam &c. sed hæc ad impediendum Episcopi Monasteriensis votum parum ponderis videntur afferre, non enim vitia illa ex novis demum votis metuenda sunt, sed olim jam de hisce Comitiorum morbis alii querelas egerunt, & quanquam non diffitendum sit, multitudinem suffragantium variis incommodis esse obnoxiam, atque negotia facilius a paucis, quam multis tractari posse, sed recte scribit Horn. *de Burgraviis Magdeb. pag. 95.* si huic argumentationi vis inesset, dici posset longe melius adhuc esse, si summa rerum penes unum

 foret

foret, a cujus nutu omnia dependerent, a quo longe facilius ea peragi possent, quàm si à pluribus etsi paucis tractari debeant. Neque existimandum est cum aliis, pluralitatem votorum tam Constitutionibus quàm observantiæ imperii adversari ceu videtur authori der unmaßgeblichen Gedancken über die gesuchten neuen Vota &c. *p. 11.* §. *3.* aliud namque docet *Recess. Imper. de An. 1570.* scopo scilicet Reipublicæ Germeniæ apprime convenire imperium membris ac votis augeri §. *163.* ibi. Nachdem auch noch etliche Reichsstände hiebevor / so noch zur Zeit zu keiner Session kommen / und derhalben mit keinem streitig worden: damit dann denselben ihre gebürliche Session und Stimme im Reichstag eingegeben / und also das Reich an seinen Gliedern / Stimmen und Anlagen gestärcket würde / seynd wir erbietig / mit denselbigen billige Verordnung zu ehester Gelegenheit doch in dem des Reichs und andere interessenten nothurfft zu bedencken / fürnehmen zu lassen. Neque observantiæ contrarium inducitur, nonnulli enim ex Principibus Imperii ter, quater, quinquies, imò sexies, suffragium ferunt, cum unus idemque Status diversæ conditionis regiones possidere possit, hinc fit, ut diversis Imperii Statuum collegiis accenseatur, quod Imperii Recessus abunde loquuntur, vid. Bertram. *de Comitiis* §. *42.* Conring. *annotat. ad Lampad. p. 3. C. 5.* § *16.* quo igitur jure aliis contraria Imperii observantia objici poterit, si jure suo utentes plura vota ambiant. conf Epicrisis ad d. tractat. Von unmaßgeblichen Gedancken &c. *part. 11.* §. *21.* in Elect. jur. publ. *tom. II. pag. 1097. seq.*

§. XXVI.

Ex his omnibus igitur abunde patet, fundatam esse Episcopi Monasteriensis prætensionem, ratione voti ob Burgra-

graviatum Strombergensem. si consideres investituram Cæsaream quæ de Burgraviatu Strombergensi, cum Regalibus juribus & prærogativis nominatim fieri solet Episcopo Monasteriensi, si perpendas Cæsareum decretum, quo Ferdinandus Imp. nihil iniquum arduumve postulari ratus, Electorem Moguntinum, ut suo ea in re officio fungeretur, commonuit, si denique mente volvas factam ob Burgraviatum Strombergensem subscriptionem Recessus novissimi quæ expressis verbis ita concepta, ut duplex votum designet, ex quibus omnibus Episcopum Monasteriensem ob Burgraviatum Strombergensem Proceribus Imperii optimo jure accenseri posse, recte dixeris.

DOMINO AVTORI

Amico suo inter paucos æstumatissimo

S. P. D.

FRIDERICVS HOVCK,



Ectam insistere viam, ordinem tenere, methodumque studiis addiscendis idoneam complecti, quantum utilitatis attulerit, vix verbis exprimi potest. Tantum econtra damnum, qui proprio pruritu sineque consilio prudentiorum in studia ruunt, experti sunt. ὑστέρῳ *huic* προτέρῳ *imprimis lepida illa ingenia implicita sunt, quæ artem saluberrimam, puta Medicinam, illotis manibus aggrediuntur, initium faciendo de statu præternaturali, imo, quod merito mirari subit animum, de praxi aliquando ipsa, nescientes, vel obliti plane*

 per-

pervulgati proverbii; Rectum indicem esse sui obliqui quo indigitatur statum naturalem præternaturali præmittendum esse. Datur & aliud genus hominum prioribus ferme simile, quod delectatur studio juris publici admodum utili unàque difficili antequam degustavêre cognitionem Historiæ commemorato quam arctissime junctæ: Unde dum biant in hoc id efficiunt, ut magno labore nihil egisse videantur. Non injustè & vos his in censuram arcesso Civilistas strictè sic dictos, qui superficiali juris Romani prudentiâ contenti vos præstantes jureConsultos esse deliratis, Vos inquam adeo strictis cancellis studia vestra includitis, ut negligendo, ne dicam spernendo studia elegantiora, historiam, juspublicum &c. classem Rabularum incurratis, quorum jurgiis fora nimium quantum hodie strepitant Felix imo felicissimus ergo ille deprædicandus est qui eandem Tecum Richtere dulcissime calcavit viam: Sicuti enim masculè Te jure Consultum in nuperrima summo cum studio conscripta dissertatione præbuisti, ita reliquis Erudito necessariis studiis Te imbutum esse sufficienter præsenti labore non vulgari demonstrasti. Perge sic inclarescere indefesso animo, & in rem literariam, quam strenuè coluisti, fœnere amplo refundere, quæ avido hausisti pectore. Deus conatibus Tuis clementer annuat, ut finem exoptatum laboris Tui indefessi attingere lætus queas. dab. e Museo in Athenæo Salano M DCCXII. D. XXI. Septemb.

